

1583

fuerat, legatione, ob Mehemetis, Amurathis filii, circumcisio-  
nem, advenit; quæ acciderant, ex veteri instituto Senatui ex-  
ponens, celebritatem neque magnificentia neque splendore cum  
plerisque in Italia spectaculis edi solitis conferendam exposuit;  
magisque ob barbaræ gentis a nostris alienos mores, quam vel  
apparatu, vel pompa spectandam affirmavit. Id inter ce-  
tera ad ferox gentis ingenium patefaciendum inspectum, com-  
plures veluti æstro percitos atque insanientes ferrum in se ade-  
gisse, vulneribusque semetipso confecisse; alios, abdomine  
perrupto, sublata vexilla proprio corpore sustentasse. Amplissi-  
ma in area, ubi festa peragebantur, ab utroque latere lignea  
ædificia in duos ordines distincta excitata fuerant; superio-  
rem Bassæ, inferiorem Principum oratores tenebant; a dexte-  
ra Cæsar is, a lœva Gallorum Regis; prope Cæsareum Venetus,  
prope Gallum Sarmata confederat. Quæ res uti Polono parum  
grata, ita Reipublicæ honori atque existimationi cessit. In hac  
celebritate Mehemetes in speciem est circumcisus, cum antea  
jam turcico ritu initiatus fuisset. Multa exinde de Amurathis  
natura, moribus, ingenio Superantius adjecit: corpore haud  
satis validum, epilepsia vexari solitum, armis tractandis mini-  
me idoneum, animo in justitiam ac temperantiam proclinato,  
religiōni studiisque rerum civilium dedito: unum tantum Me-  
hemetem filium annorum sexdecim ætatem agentem illi esse,  
eumque non more majorum in Amasiam educandum aman-  
dasse, sed iisdem penes se claustris retinere, vel paterno af-  
fectu, quod unicus ei filius esset, vel, ut alii opinabantur,  
occulta quadam regni suspicione tactum, quod vivido admo-  
dum ingenio, in arma propensum, gloriæque studio incensum  
esse plerique dicerent. Quapropter cum in Persicum bellum li-  
benter se profecturum enuntiasset, licet adolescentis animus  
patri pergratus extitisset; attamen nullo pacto a se illum di-  
velli voluisse, veritum, ne, uti Bajazeti viventi a Selymo fi-  
lio contigerat, ab exercitu Imperator salutaretur. Ceterum  
omnes Turcarum conatus in Persidem effundi; in ea tria jam  
summi momenti propugnacula occupasse, Teßim Albanorum  
civitatem, Carsum, ac Demircapim; universique belli sum-  
mam in eo sitam, uter Media Atropacia (*Servanum* hodie vo-  
cant) potiretur; pro qua, quod in visceribus Persarum Regin  
sita